



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXVII. De rectoribus regularium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)



dito. Qui ex senibus religiosis colorem mutare detrectarunt, iis annuæ pensiones assignatæ fuerunt. Interim non usquequaque reformatio suscepta est. Congregatio S. Mauri locum habuit tantummodo in monasteriis regulæ primæve subjectis, nec in unum corpus coalitis; non autem inter Cluniacenses & Cistercienses. Hinc plura supersunt monachorum & canonicorum regularium claustra, quæ antiquum obtinent cum bonorum omnium offensione.



## C A P. XXVII.

## DE RECTORIBUS REGULARIUM.

## I.

Abbat.  
&

**P**RO diversis religiosorum ordinibus regimen est diversum. Ex regula Benedicti c. 2. quodlibet monasterium *abbatem* habet, qui non solum monachos omnes regit ratione morum & vitæ interioris, sed instar boni patris familias etiam temporalia omnia administrat. Monachi eum elegerunt, electumque Episcopus dioceseos ordinavit benedictione solemnibus, quæ æmulatur consecrationem Episcoporum<sup>r</sup>. Abbates sæpe quidem, sed non semper ordinati sunt presbyteri. In causis arduis abbas consuluit monachos, quorum tamen suffragia non fuere decisiva. c. 3. Potuit adsciscere præpositum, laboris socium, & si numerosum cœtum habuit, denis fratribus decanum præficere c. 65. item, janitorem, cellarium, vel procuratorem constituere, sed &



pro lubitu destituere c. 21. Vixit ad morem <sup>Priores,</sup> aliorum monachorum, nisi quod onus univer-  
sæ domus regendæ & separatam mensam, cui  
hospites adhibere poterat, haberet c. 56. Ad  
prædia longius distita certos monachos emisit  
administratores, qui oratorium sibi struxere,  
in quo regulam, spectante priore, ab abbate  
submisso, æque sancte observarunt: quæ loca  
cellulas, prioratus vel *obedientias* vocarunt.

1) Pontif. Rom. de bened. abbat.

II. ORDO universus Cluniacensium <sup>Abbatem,</sup>  
servandæ uniformitatis causa unum tantum <sup>unum</sup>  
*abbatem* habere voluit, ceteris monasteriis, <sup>Clunia-</sup>  
etiam amplissimis *prioribus* commendatis. Ci- <sup>censes;</sup>  
sterciensis, laxitatem disciplinæ absolutæ au- <sup>plures</sup>  
toritati abbatis Cluniacensis imputantes, si- <sup>habent</sup>  
ngulis monasteriis singulos abbates præfecere, <sup>Cister-</sup>  
eorumque annuos conventus habuere, ut pa- <sup>cienes,</sup>  
lam fieret, num uniformitatem tuerentur, re-  
gulamque fideliter observarent. Cisterciæ  
multum auctoritatis in quatuor filias majores;  
his tantumdem in suas filias; ut abbas matris  
Ecclesiæ regeret electionem abbatum filiarum,  
quos, adhibito quorundam abbatum consilio,  
si quid sæcus fecerant, destituere potuit.

III. RECTURA canonicorum regu- <sup>Hi olim</sup>  
larium propemodum ad normam regiminis <sup>electi, ho-</sup>  
monastici fuit efformata, quum potiora clau- <sup>die nomi-</sup>  
stra *abbatem*, viliora *priores* haberent, ac olim <sup>nantur a</sup>  
*prepositos* atque *decanos*, qui supersunt in capi- <sup>rege ple-</sup>  
tulis sæcularibus. Monachi & canonici regu- <sup>rumque,</sup>  
lares, abbates & priores suos ipsimet longa



consuetudine elegerunt usque ad an. 1516. quo in Francia per concordatum Francisci I. cum pontifice initum<sup>1</sup> electiones istæ æque ac episcopales sublatae sunt. Rex igitur nominat, quem abbatem, quem priorem esse vult: nominatum instituit pontifex eo modo, quem supra *de Episcopis* explicavimus. Nominandus est religiosus ejusdem ordinis, XXIII. annos natus, ut intra annum presbyter fieri possit. Hoc cautum *statuto Blesensi art. 1. 9.* aliisque, quibus supponitur, monasteriorum recturam conferri secundum regulam. Sed si *commendæ* sint, prout hodie pleraque sunt monasteria, conferuntur clericis sæcularibus, nulla ætatis ratione habita. De commendis autem dicendi locus erit *part. II. c. 26.* Jus tamen electionis sartum tectum mansit monasteriis totorum ordinum matribus & capitibus, veluti monachis Cluniacensibus, Cisterciensibus, eorumque quatuor filiabus; Præmonstratensibus, Grandimontensibus & nonnullis aliis: quod falso instar *privilegii* habetur, quum hæ sunt reliquæ juris communis.

1) *Tit. 6. de elect.*

Congregatio-  
num su-  
periores  
eligun-  
tur, ut

IV. RECENTIORES *monachorum & canonicorum regularium* congregationes, a veteri instituto recedentes, reguntur prope ad modum mendicantium & aliorum ordinum recentiorum, Abbates habent, sed tantum triennales, ne potentia crescant; qui non a monasterio, sed in conventibus, ad quos ex omnibus provinciis, per quas congregatio extenditur, certi legati mittuntur, eliguntur,



æque ac *officiales generales*, qui sunt superior *generalis*, hujus *assistentes*, *visitatores* & *provinciales*. Monasteriis, quæ *abbates commendatarios* vel *abbates regulares* quidem, sed non reformatos habent, præfunt *priores triennales*, & *prioratibus*, quæ *priores commendatarios* vel *priores regulares* quidem, sed non reformatos habent, præfunt *priores claustrales*. Ceteri *officiales claustrales* in singulis domibus ab abbate vel *priore claustrali* instituuntur, & pro lubitu remouentur. Hæc intelligenda sunt de *prioratibus conuentualibus*; non de simplicibus, qui monasteria esse desierunt.

V. MENDICANTIUM ordines singuli singulis generalibus parent; Franciscani *ministrium*, Dominicanus *magistrium*, ceteri *priorem* vocant; qui olim soli universos ordines rexerunt. Post singulis domibus singuli *priores* dati sunt, quos Franciscani *Gardianos* appellant. Quum domus brevi tempore immensum crescerent, secundum *provincias* dispartitæ sunt, & singulis provinciis *ministri* seu *priores provinciales* præfecti. Atque hi *officiales* omnes eliguntur. Quorumdam ordinum *generalis* ad dies vitæ; quorumdam ad certum tempus constituitur: nec eadem omnibus conuentuum generalium tempora. In his eligitur *generalis*; eliguntur reliqui *generales officiales*: in conuentibus provincialibus *provinciales* & *priores* vel *Gardiani*, qui deinceps ipsimet *claustrales officiales* constituunt. *Provincialis* religiosos provincie e monasterio in monasterium pro arbitrio transferre potest,

mendi-  
cantium  
genera-  
les,



& *generalis* e provincia in provinciam, uni papæ subiectus. Generales assidue Romæ degunt, qui in Francia *vicarium*, natione Francum, habent, ne regis subditi ab *homine extraneo* e regno evocentur. Ad hunc modum mendicantes in universum reguntur, quem plerique religiosi recentiores æmulantur. Jesuitis tamen aliud placuit.

Jesuitarum monarcha est generalis;

VI. QUI quum in electionibus & sæpe repetitis conventibus generalibus factiones & ambitum gliscere, multaue dissidia inde per totum ordinem spargi viderent; *monarchicam* regiminis formam deperierunt. Summa enim semper & ubique penes generalem est auctoritas<sup>r</sup>. Ille tentat laudatque, qui societati semet adungere cupiunt. Ille ejicit, quos parum judicat idoneos. Ille cuncta distribuit munera. Habet enim unaquæque domus *rectorem*, procuratorem, ministrum & quosdam alios officiales. Provincialis prope intuetur plures unius provinciæ domus. Generalis ut plurimum officia illa confert ad triennium, quod arctare & prorogare potest. Foundationes quoque acceptat & omnes contractus societatis firmat; alienare tamen nequit sine consensu conventus generalis, qui raro cogitur, sed eligendi generalis causa necessario convocandus est.

1) *Constit. Soc. Jes. part. 9. c. 3.*

Equitum Meliten- sium ma.

VII. PEURIMA singularia in *ordinibus militaribus*, si vel solos equites *Joanniticos* seu *Melitenses*, qui ceteris sunt notiores, spe-



Et es. Non plures illis domus uni capiti paren-  
tes; sed una domus, <sup>gnus ma-</sup> <sup>gister.</sup>   
cujus membra sunt per omnem orbem Christianum dispersa. Ob  
utilem bello sacro navatam operam plurima  
prædia, templariorum spoliis aucta, nacti,  
ad horum administrationem emittunt, quos  
*commendatores*, i. e. *depositarios* vel *administra-*  
*tores* vocant: quorsum etiam spectat *Balli-*  
*vii* vocabulum. In singulis provinciis *prio-*  
*rem* habent, qui pinguis provincia  
commenda gaudet, ac nonnunquam equitum  
provincialium conventus cogit. Uno omnes  
superiore reguntur, *magno* videlicet *magistro*,  
qui Melitæ degit, totius communitatis me-  
tropoli. Ibi instar habet principis absoluti;  
Papam tamen reverenter colit. Electioni digni-  
tatem debet, non nisi cum spiritu dimitten-  
dam. Consilium habet maximorum ordinis  
ministorum & *balliviorum* seu *priorum* con-  
ventualium, qui omnes cruce majore distin-  
guuntur. Membra sunt, vel capellani, vel  
equites vel fratres servientes. *Equites* oportet  
patrum, avorum, proavorum, abavorumque  
cum paternorum tum maternorum equestrium  
imagines ostendere. *Fratres*, in quibus nec  
plebeji rejiciuntur, partim armis, partim of-  
ficiis admoventur. Quilibet equitum alium  
adsciscere potest, sed a concilio provinciali  
confirmandum; nec nisi majores XXV. annis,  
& meritis in ordinem clari, ad professionem  
religiosam admittuntur. Quum ad *commendas*  
obtinendas anni in militia exacti suffragentur;  
innumeri sunt, qui sine commendis degunt.  
Hi si in insula degunt, in *hospitio suæ nationis*



gratis aluntur; sin minus, nihil accipiunt. Unde a parentibus & agnatis pensiones petere possunt.



## C A P. XXVIII.

DE RELIGIOSIS VIRGINIBUS ET  
EREMITIS.

## I.

Virgines

**F**EMINAE religiosæ reguntur ad modum *religiosorum*, quorum regulam, quantum per sexus imbecillitatem licet, sequendam animum induxerunt: ratione arctioris custodiae & virilis imperii potissimum ab istis diversæ. Primis temporibus virgines etiam eæ, quæ solemnî ritu ab Episcopo consecratæ, privatis in ædibus habitant, sola virtute custoditæ. Post gregatim vivere, donec arctissime occludendæ viderentur.

occlusæ

II. IGITUR non nisi extrema necessitate urgente, incendium, pestilentiam, hostem elusuræ, vel aliam domum excitaturæ, aut instauraturæ, & his similia ausuræ, ubi tamen scripta Episcopi venia opus est, e monasterio excedere possunt<sup>1</sup>. Mendicantibus permittitur stipem colligere<sup>2</sup>. Ne secretior vita turbetur, sub pœna excommunicationis nemini, ne feminis quidem, ad eas penetrare licet<sup>3</sup>. Monasteria ruri incurSIONIBUS exposita in *civitates* transferre visum. Habent *oratoria*, in quibus *venerabile & sacrum oleum* custoditur, & sacra peraguntur. Cum exte-